


ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO
D. D. CLAUDIO-LUDOVICO
DE LA CHASTRE
EPISCOPO ET COMITI AGATHENSI
REGI AB OMNIBUS CONSILIIS, &c.



BITERRIS,
Ex Typis STEPHANI BARBUT, Regis, Illustrissimi D. D.
Episcopi & Comitis Agathensis, Typographi.

M. D C C. X X X I.

MASSACHUSETTS ACCESSION

D. B. G. ANDIO - I. D. D. V. I. G. O.

THE MASSACHUSETTS

LIBRARY

AND THE UNIVERSITY OF

CHICAGO

1880

MASSACHUSETTS

LIBRARY

AND THE UNIVERSITY OF

CHICAGO

1880

MASSACHUSETTS

LIBRARY

AND THE UNIVERSITY OF

CHICAGO

1880


MASSACHUSETTS

LIBRARY

AND THE UNIVERSITY OF

CHICAGO

1880




ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

D. D. CLAUDIO LUDOVICO
DE LA CHASTRE
EPISCOPO ET COMITI AGATENSI

REGI AB OMNIBUS CONSILIIS, &c.

THESES EX UNIVERSA PHILOSOPHIA;

EX PROLEGOMENIS.



PHILOSOPHIA rectè definitur cognitio evidens rerum naturalium per causas. Non aliam habuit originem quam cætera dona optima: descendit nimirum à Patre Luminum, qui illam infudit Adamo, primo ipsius creationis instanti; non tantum possibilis est, sed reverà existit, licet admodum imperfecta. In inquirendâ veritate ducem sequitur evidentiam; unde Primum certæ cognitionis principium hâc propositione contineri censemus: quidquid in ideâ rei comprehenditur vel ab eâ excluditur, id de eâ re affirmari vel negari potest, absquæ errandi formidine. Quæ sit optima philosophandi Methodus si quaeris,

nulla nobis videtur aptior, quàm si de omnibus, etiam his quæ novimus per sensum intimum, instituat dubium Methodicum, & tandiù cohibeatur assensus donec sine interiori conscientia morfu denegari non posse sentiat.

EX LOGICA.

CUM tota Logica Artificialis in dirigendis operationibus Mentis invigilet, rectius deservit videtur, Disciplina directrix judiciorum, quàm cum Ars cogitandi dicitur. Ad cæteras scientias comparandas utilis est, non autem absolutè necessaria. Universale à parte rei admitti

vel rejici potest, prout unitas indistinctionis vel similitudinis ad ipsum constituendum, per nominis definitionem requiritur. Strictioribus limitibus Deum coerceri ne reputes, si ipsum in cathedra substantiæ contineri dixeris. Christum itidem, Angelos & Coelos ad eandem substantiæ classem redigere ne formides. Judicium simplex est mentis Actus quo unum de alio dicitur. In omni judicio attributi ad subjectum affirmatur habitus, quo sensu nullum est judicium negans: prout tamen utriusque termini asseritur unio vel separatio, rectè aliud dicitur judicium negans, aliud affirmans. Judicia innituntur fide, vel opinione vel scientiâ, quos habitus in eâdem Mente de eâdem re simul stare non posse sentimus. Omnis Propositio necessariò vera est vel falsa. Ambæ singulares oppositæ de futuro contingenti falsæ sunt, si in se præcisè & in statu Metaphysico spectentur. Propositionum oppositio secundum affirmationem & negationem æstimanda est; nullâ majoris vel minoris quantitatis ratione habitâ. Oppositæ possunt esse simul falsæ: simul autem veras esse penitè repugnat. Ratiocinatio est actus Mentis quo unum judicium ex duobus præviis judiciis infertur. Quidquid ad ratiocinandum utilitatis habent Syllogisticæ leges, id hac unâ simplissimâ lege comprehenditur, ut altera nimirum ex præmissis conclusionem contineat, idque per alteram indicetur.

E X M E T A P H Y S I C A.

I.

METAPHYSICA Scientia est, merè speculativa quæ ens ab omni materiâ secretum, Deum & alias spirituales substantias contemplatur. Ens dicitur id omne quod est possibile vel actu existit. Entis nomen substantiæ & accidenti, Deo & Creaturis univocè tribuitur. Possibilitas Entium primaria & absoluta pendet ab attributorum consensione. Secundaria autem ab omnipotentiâ Dei deducenda est. Non datur potentia obedientialis in quolibet ad quolibet. Essentiæ rerum Metaphysicæ sunt æternæ & immutabiles; quæque de his fiunt propositiones sunt æternæ veritatis. Essentiæ Physicæ non existunt nisi in individuis, simulque cum individuis intereunt. Triplicem distinctionem admittendam censemus, realem nimirum inter substantiam & substantiam: Modalem inter substantiam & modum, formalem deniquè inter modum & modum. Soli causæ effectrici, veræ & Physicæ causæ nomen debetur. Materialis autem & formalis, principia rerum meliùs dicuntur quam causæ.

I I.

IDEA Dei animis nostris intimè præsens nihil est aliud quam ipsamet Dei substantia, publicum intelligentiarum lumen. Sic hominum mentes irradiat ut nulli umquàm extiterint Athei: unde propositionem hanc, *Deus existit* per se notam esse, non quoad se tantum, ut aiunt, sed etiam quoad nos, defendimus. Existentiâ Dei multiplici Argumentorum genere demonstratur. Differentia ipsius constitutiva in necessitate existendi optimè reponitur. Deum esse merum corpus, aut ex corporeâ & spiritali substantiâ compositum asserere, par foret amentia. Hinc corporeis oculis nullatenus potest conspici, Deus unus est, immutabilis, æternus, infinitus, immensus, hoc est ubique in se ipso præsens. *Ubiquè est* inquit Augustinus, *quia nusquam est absens: in se ipso autem quia non continetur ab his quibus præsens est.* Deus omnia novit ac prænovit; rerum essentias videt in suis ideis: Substantiarum autem existentiam & futuras determinaciones voluntatis liberæ in suis decretis conspicit. Duplex in Deo Scientia, simplicis nimirum intelligentiæ & visionis optimè distinguitur; media inter utramque non datur. A neutrâ scientiâ præcisè ut scientia est, res habent quod sint futuræ.

I I I.

POSITIS decretis divinis alterutra propositionum contradictoriarum de futuro contingenti vera est. Creatio necessariò admittenda est, solique Deo competit. Datur Divina Providentia, quæ non ad substantias tantum corporales, sed etiam ad spirituales extenditur. Deus enim tam spiritus quàm corpora ad actum physicè movet ac promovet, sed rerum na-

curam perficiens non immutans, corpora necessariò; spiritus autem illæsa ipsorum libertate ad actum applicat. Angelos esse possibile naturale lumen indicat, actu existere probabili tantum ratione evincitur, sed invicta fidei autoritate firmatur. Anima rationalis est substantia regendo accommodata corpori. Animam distinctam esse à materiâ cogitandi facultate demonstratur: ipsam tamen nihil aliud esse quàm actualem cogitationem periculosè crederetur. Immortalis est, & à solo Deo corpori infunditur: se ipsam & quid in se peragatur novit per sensum intimum: objecta autem extra se posita non percipit nisi mediântibus repræsentationibus, quæ idæ objectivæ vocantur. Idæ spirituales sunt non corporeæ; ab objectis, præsertim corporeis non exprimentur, nec fabricantur ab anima, sed ab ipso Deo exhibentur. Quamlibet ideam veram esse, claram & distinctam censemus: ideas objectivas nihil aliud esse volunt nonnulli, quam ipsas mentis perceptiones. Nobis verò sanius sentire videtur Malebranchius qui Animam, entia à se distincta, in essentiâ Dei ut Archetypo rerum omnium, conspiciere existimat.

E X M O R A L I.

ETHICAM seu Moralem dicimus scientiam practicam, quæ circa actus humanos ad honestatis regulas æternæ felicitatis intuitu conformandos occupatur. Voluntas hominis sic bonum appetit & malum refugit, ut nec bonum odisse quatenus bonum, nec malum, quatenus malum possit diligere. Undè ad bonum generatim necessariò amandum determinata meritò creditur. Rectæ rationi obsequetur si nihil propriè bonum esse sentiat quod sit ab honestate sejunctum, quantumvis alioquin in se bonum jucundum aut utile videatur. Finis ultimus, verus, proprius, & naturalis rerum omnium, præsertim hominis Deus est, minùs enim accuratè loquuntur qui finem non secernentes à mediis, Deum finem tantum supernaturalem hominis esse contendunt. Felicitas seu Beatitudo objectiva hominis in solo Deo posita est. Formaliter egò felix erit, quisquis Deo adhærens summo gaudio perfundet: infelix quisquis supremo illo bono privabitur. Ad Beatitudinem tendit homo per actus liberos, quorum nulli sunt indifferentes in individuo. Liberi censentur actus qui ab electivâ facultate procedunt. Huic autem facultati, quæ liberum Arbitrium dicitur, constituendæ requiritur saltèm contradictionis indifferentia, quam in hâc vitâ comitatur indifferentia contrarietatis.

E X G E O M E T R I A.

GEOMETRIÆ objectum est extensio quæ triplici dimensione continetur. Linea recta est omnium brevissima, quæ à puncto in punctum possint deduci. Ex duobus punctis pendet ejus positio. Perpendicularis est, quæ in alteram incidens, in neutram partem inclinat. Duæ rectæ in uno tantum puncto secare se possunt. Ex puncto supra lineam vel in lineâ concessa, dimittetur vel attolletur Perpendicularis. Lineam rectam in duas partes æquales dividere. Per datum punctum ducere parallelam lineæ datæ. A puncto extrâ circum datum ad ipsius peripheriam duas tangentes æquales deducere. Linea recta cordam dividens tribus conditionibus donari potest; perpendiculariter nimirum in eam incidit, in duas partes æquales secat, & per centrum circuli ducitur: Duabus ex his conditionibus positis tertia necessariò subsequetur. Linea recta in summitatem radii perpendiculariter ducta, in uno tantum puncto circum contingit. Nulla potest dari recta tangentem inter & circumferentiam; sed innumeræ curvæ possunt deduci, quæ in uno tantum puncto sibi occurrent. Anguli ad verticem oppositi æquales sunt.

E X P H Y S I C A G E N E R A L I.

PHYSICA corporum naturæ investigandæ tota incumbens nullum aliud objectum habet quàm corpus naturale quatenus naturale. Scientia speculativa est; sed quàm imperfecta sit norunt quicumque limen ipsius attingere. Datur omnimoda certitudo de existentia corporum. Duo sunt compositionis principia: At unicum tantum admittendum videtur principium generationis, causa scilicet efficiens. Materia prima formarum omnium capax, nul-

lam appetit. Essentiam corporum constituit partium pluralitas. Formis corpora fecernuntur ab invicem: undè cuilibet corpori forma quædam propria, id est, certa partium dispositio insit necesse est, quâ ab aliis distinguatur. Formas autem substantiales Peripateticorum admittat qui verbis nihil declarantibus delectatur. Neque extat, neque extare potest vacuum seu inane. In Atomorum locum triplex Cartesii Elementum optimè inducitur; si tamen secundum Elementum non ex Globulis solidis, sed ex vorticulis fluidis constari censeatur. Inter principia sensibilia quatuor Elementa Peripateticorum recensemus, quibus sal, sulphur, & spiritum chymicorum addere nihil vetat. Quantitas terminata scilicet extensio, ex punctis Zenonicis exurgere non potest. Infinitas actu partes continet, & est infinitum divisibilis.

I I.

MOTUS est translatio continua & successiva à loco in locum. Locus internus à corpore locato non fecernitur. Externus verò est superficies corporum mediatè vel immediatè corpus ambientium. Undè duplex est locus externus, sicut & motus, alter scilicet proprius alter communis. Instantaneus Motus dari non potest. Nulla vis inest quieti ad resistendum. Non datur Quies in puncto reflexionis. Deus solus est prima causa motûs: causæ autem occasionales multiplices. Eadem est causa Motûs continuati quæ primùm impressi. Ipsius autem reflexio pendet ab elaterio corporum. Corpus motum lineam rectam semper affectat. Nec plus, nec minùs de suo Motu depèdit quàm aliis communicat. Undè eadem perseverare Motûs quantitas quæ primùm impressa est Materiæ, probabilissimè censeatur. Velocitas Motûs ratione temporis & spatii emensi, quantitas verò ipsius ex velocitate & mole corporis moti determinari postulant. Quotiès duo corpora solida ita simul coaptantur, ut quantum unum mole vincit alterum, tantum ab altero distantia à puncto fixo vincatur ea sunt in æquilibrio. Ad hoc principium machinas componit statica. Liquidorum gravitas secundum altitudinem ipsorum habitâ ratione basis æstimanda est. Ex eo quod liquidorum particulæ ad libram se componant petenda est ratio cur ex corporibus solidis in ea immerfis, alia deprimantur, alia consistant, alia sursùm eluctentur; singula autem gravitatis suæ relativæ partem amittant.

EX PHYSICA PARTICULARI.

I.

MUNDUM dicimus corporum omnium certo ordine digestam compagem. Ab æterno non fuit conditus, cum ipsa Materia ex quâ componitur æterna censeari nullatenus possit. Novitatem ipsius evincunt plurima. Mundi compagem ingeniosè adumbrat Sphæra armillaris cujus varias positiones, variorumque circulorum usus evolvere in promptu erit. Mundi systema quod Ptolemæi nomine circumfertur multis rationibus falsitatis arguitur. Tychoenicum cum Physicis & mechanicis legibus non satis congruit. Copernicanum itaque ad omnia naturæ phænomena mirâ simplicitate coaptatum, saltèm tanquàm hypothèsim defendere liceat. Materia à nonnullis malè supponitur immensa. Secundi Elementi Cartesiani soliditas cum naturæ phænomenis stare non potest. Durities corporum oritur à vorticulis Materiæ ætheræ corpora comprimentibus. Crassiorum tamen corporum duritiem promovet Aeris gravitas. Liquiditas tum ab æquabili partium insensibilium figurâ; tum ab actuali ipsarum motu quem continuus Materiæ ætheræ interfluentis impulsus fovet, repetenda est. Si liquidorum particulæ ramosæ sint & implexæ, liquida viscosa vocantur; si aliorum corporum poris facilè adhæreant humida dicentur. Mollities liquiditatem inter & duritiem media, ab utriusque imminutione procedit. Gravitas corporum per profluvia substantialia, vel per vorticosum substantiæ ætheræ motum explicari non potest. Per reactionem quam in planetis patitur Materia ætherea probabiliter exponitur à Malebranchio.

LEVITAS à sola partium corporis raritate deducenda est. Lumen in percipiente nihil aliud est quam animæ sensatio : in corpore autem lucido congeries est Materiæ fluidissimæ vibratorio motu agitata, quæ circumstantes vorticulos continuis ictibus feriens, his mediantibus visus organum movet. Pro varia luminis reflexione vel refractione objecta colores induunt. A radiorum copiâ vel penuriâ & à promptiori vel lentiori vibrationum celeritate diversitatem colorum pendere intelligimus. Qualis autem esse præcisè debeat vibrationum ratio ut quilibet color excitetur, humanæ Philosophiæ definire concessum hæcenus non videtur. Sonus in Motu tremulo & vibratorio Aeris consistit ; Tonorumque diversitas à promptiori vel lentiori vibrationum celeritate procedit. Si per reflexionem in unum veluti focum particulæ Aeris dirigantur, excitabitur Echo. Sapores & odores pendent à particulis salinis & oleosis, quarum aliæ dum alimenta teruntur Palati & Linguae papillas radunt & vellunt : Aliæ à corporibus odoriferis evolantes in olfactus organum inpingunt. Elaterii corporum causa sunt vorticuli Materiæ æthereæ, qui intra corporis inflexi poros coarctati parietes ipsorum feriunt. Calor in reciproco & perturbato partium corporis calidi Motu reponendus est ; & ex remissione illius Motus frigus oritur, liquidaque in glaciem concrefcunt.

I I I.

COELORUM substantia fluida est & corruptioni obnoxia. Sol ex Materiæ subtilioris congerie ita conflatur ut nonnihil Materiæ crassioris admittat. Partes ipsius motu Vibratorio agitantur, totusque circa suum centrum volvitur. Stellæ fixæ sunt totidem soles proprio fulgentes lumine. Cometæ sunt corpora solida, quæ lumen suum à sole mutuuntur. Luna est quoque corpus solidum & Sphæricum, sicut & Planetæ cœteri, sed inæqualitatibus asperum. Planetarum Phases à diversis ad solem respectibus pendent. Eclipsim luna patitur cum in umbram terræ incidit, & vicissim umbra ipsius solares radios terræ subripit. Hinc Eclipses solares in novi-lunio tantum & lunares in pleni-lunio contingunt. Corpora cœlestia calore & lumine in sublunaria influunt. Nihilo tamen minus vana sunt Astrologorum præfagia, tum circa Aeris temperiem, tum maxime circa hominum sortes. Terra elementaris partibus striatis, & ad Motum minimè expeditis constat. Particulæ filamentorum vel laminarum instar protensæ Aerem constituunt. Gravitas, Elaterium, condensatio & rarefactio Aeris plurimis experimentis demonstrantur. Aquæ particulæ teretes sunt, oblongæ, politæ & flexibiles. Ignis elementaris à Materiâ subtili non distinguitur. Igni autem usuali Materia quidem subtilior præbet originem, sed ipsum fovent particulæ salinæ & sulphuræ crassiorum corporum. Generatio ignis ex lapide per diruptionem vorticulorum Materiæ æthereæ optimè exponitur. Somniant qui in concavo cœli lunaris igni sedem assignant.

I V.

SALIUM particulæ claviculorum instar rigidæ & acutæ rectè supponuntur. Ex Alkalicorum & acidorum permixione oritur fermentatio ; primaria tamen ipsius causa à Materiâ æthereâ repetenda est. Atmosphæræ regionum varia temperies à terrenorum habituum copiâ vel defectu pendere credimus. Nubes & nebulæ ex vaporibus fursùm ab Aere propulsis conflantur. Harum concretionem promovent frigus, venti, maximè si sint oppositi & Montes prærupti. Hinc fit ut per hyemen segniùs eleventur citiùs fermententur. Nubes condensatæ vel rorem, vel Aerem ferotinum, vel pluviam dabunt. Siquid in his Meteoris sit noxium, ab exhalationibus immixtis oritur. Pluviæ quas sanguineas vocant nihil habent quod naturæ legibus adversetur. Nix componitur ex vaporibus congelatis quos calor tenuis in floccos resolvit, non aliam habent originem. pruina & grando. Tonitru non secus ac fulmen ab exhalationibus nitrosis & sulphureis in nubium concavo fermentescens excitantur. Ex

varietate exhalationum varii fulminis effectus sunt deducendi. Stellæ cadentes, ignes fatui & cœtera Meteora ignita exhalationibus quoque terrenis suam debet originem. Ventos à terrenis halitibus sæpè procedere probant œolipilæ. Generalior tamen ventorum causa cœferi debet alterna Aeris rarefactio & condensatio, Iridem, parelia & alia Meteora illustrata exhibent radii luminis à nubibus roridis & congelatis variè reflexi & refracti.

EXPERIMENTA.

PLURIMA in cœtu fient experimenta circa Motum corporum, gravitatem, elaterium & rarefactionem Aeris, liquidorum æquilibrium, sonum, Animalium respirationem, &c. Sphæræ armillaris structura & usus explanabuntur. Barometri & Thermometri artificium indicabitur. Quæ omnia majoris claritatis gratiâ Gallico idiomate evolventur.

Has Theses Deo duce & auspice Dei parâ tueri conabitur **JACOBUS GILBERTUS VILLEBRUN**, *Piscenensis. In Aulâ Collegii Regii Piscenensis, Sacerdotum Oratorii Domini JESU, Die quartâ mensis Junii horâ post meridiem.*